



**Praxis Ivrispatronatvs Acquirendi, conseruandiq[ue] illud;  
ac amittendi modos breuiter continens**

**Viviani, Giuliano**

**Romae, 1620**

Cap. 4. Vacante Ecclesia patronus, vel quasi possidens per se, vel per  
procuartorem, Rectore[m] præsentare debent, & de procuratore  
constituto ad præsentandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61772)

## CAPVT QVARTVM.

Vacante ecclesia patronus, vel quasi possidens per se, vel per procuratorem, Rectorem præsentare debent; & de procuratore constituto ad præsentandum.

## SVMMARIVM.

- 1 Patronus debet præsentare, vel eius procurator.
- 2 Si vacet beneficium.
- 3 Procurator constitui non potest ad beneficia vacatura.
- 4 Concil. Trident. Sess. 24. de reformat. cap. 19. tollit expectatiuas.
- 5 Procurator constitui potest ad consentiendum resignationi, vel permutationi.
- 6 Absens rectè constituit procuratorem ad beneficia vacatura.
- 7 Consuetudo Pisana circa tales procuratores.
- 8 Comes Nicolaus Gallettus Patronus plurium beneficiorum.
- 9 Procurator generaliter constitui potest in beneficijs vacaturis ex iusta causa, & de

consensu Ordinarij.

- 10 Data potestate conferendi potest quis præsentare, sed data potestate præsentandi nõ potest conferre.
- 11 Præuentioni est locus si duo sint procuratores patroni.
- 12 Et durante tempore secundus procurator variare potest si laicus sit patronus.
- 13 Patronus potest præsentare, etiam si habeat procuratorem, tunc autem procurator non potest.
- 14 Patronus potest variare si prius eius procurator præsentauit.
- 15 Mulier potest præsentare, & procuratorem constituere.
- 16 Procurator diuersorum patronorum non potest diuersos præsentare.
- 17 Iura loquentia de electione procedunt in præsentatione.

18 Fal-

18 *Falsus procurator repellitur à presentando.*

19 *Patronus potest presentare, etiam si procuratorem fecerit, iurando eum non reuocare.*

20 *Periurium eo casu euittatur, si obtineat absolutionem à iuramento.*

21 *Procurator constitutus ad presentandum potest reuocari, & non valet presentatio, etiã si procurator nesciat reuocationem.*

22 *Patronus potest presentare per nuncium.*

23 *Patronus potest presentare per litteras.*

24 *Pater pro filio, frater pro fratre, coniunctus pro coniuncto, amicus pro amico, cum promissione de rato presentare possunt.*

1 **V**Acante igitur Ecclesia, patronus, vel alius existens in quasi possessione debet presentare Rectorem per se, vel per procuratorem. cap. ea noscitur. vbi gloss. Abb. Cardin. & alij, de his quæ fiunt à Præl. sine cons. Cap. & cap. ultimo. de concess. præben. quod procedit  
2 in beneficio † vacante; tunc

enim potest constitui procurator ad presentandum, & absens potest inuestiri de beneficio per suum procuratorem. capit. accedens. de præbend. facit Felin. in cap. cum venerabilis. in princip. de exceptionib. In vacaturis † autem beneficijs patronus non potest constituere procuratorem ad presentandum, vel committere actum presentationis faciendæ. cap. vlt. de concess. præbend. vide Cassadorum de iurepatr. decis. 5. num. 1. nec habens collationem potest id facere. cap. quia propter. §. illud autem. de elect. quia daretur votum captandæ mortis, & aperiretur via fraudibus: & in simili expectatiuæ gratiæ ad vacatura prohibentur à  
4 Concilio † Triden. sess. 24. de reformat. cap. 19. Procurator † tamen ad consentiendum renunciationi, seu permutationi constitui potest. Lambertin. de iurepatron. libro 2. part. 1. quæst. 4. art. 2.  
6 num. 6. Quod † tamen non procedit si quis ex iusta causa debeat abesse à Patria, & morari in longinquis Regionibus, tunc enim auctoritate

te Ordinarij poterit consti-  
 tuere procuratorem, vt præ-  
 sentet pro se ad vacatura.  
 argum. cap. quoniam. de iu-  
 repatron. & cap. nihil. de  
 elect. faciunt dicta per Inno-  
 cen. in cap. 1. de constit. vbi  
 Felin. col. 14.

7 Et ita vidi ¶ seruari Pisis,  
 in ea etenim Ciuitate Anti-  
 quissima, & Nobilissima ad-  
 sunt multa beneficia, quorum  
 iuspatronatus est poenes No-  
 biles viros Pisanos habitan-  
 tes in Insula Siciliae in Ciui-  
 tate Panhormi, & isti solent  
 Pisis habere certum procura-  
 torem ad præsentandum ad  
 vacatura, prout solitus est fa-  
 8 cere Illustrissimus Dominus ¶  
 Nicolaus Gallettus Cètegles  
 Comes Galeani commorans  
 in dicta Ciuitate Panhormi,  
 qui habet multa beneficia in  
 Ciuitate Pifarum, & in ea ha-  
 bet certum procuratorem,  
 ad prædicta, qui procurator  
 ea exercet, & obtinet confir-  
 mationem præsentationis mo-  
 9 re solito. Et ideo ¶ valide po-  
 terit procurator constitui ge-  
 neraliter ad præsentandum,  
 in omnibus ecclesijs, in qui-  
 bus habet iuspatronatus, si  
 plures sint ecclesiæ, vel vna,

maximè stante iusta causa  
 constituendi procuratorem,  
 & accedente Episcopi consen-  
 su. Ioan. Andr. in dict. c. vlt.  
 10 de conc. præb. Et si ¶ sit da-  
 ta potestas conferendi bene-  
 ficium, intelligitur data & po-  
 testas præsentandi, cum in  
 vtraque sit eadem ratio, cum  
 maius sit conferre, & sic mi-  
 nus continet; sed data facul-  
 tate præsentandi non dicitur  
 data facultas conferendi, cum  
 minus non comprehendat id  
 quod est maius, vt notat. per  
 Abb. in cap. cum in cunctis.  
 col. 2. de elect. Quod si duo  
 11 dati sint ¶ procuratores info-  
 lidum ad præsentandum, &  
 vnus præsentet, & præsentatus  
 renunciet præsentationi,  
 ille alter procurator non po-  
 terit præsentare, quia præsen-  
 tationis actus fuit occupatus  
 per primum. ad cap. si duo.  
 de procur. lib. 6. Ioan. Andr.  
 in cap. si quis. de elect. lib. 6.  
 12 nisi adsit ¶ tempus ad præsen-  
 tandum alium, quia si sit lai-  
 cus, variare potest. cap. quod  
 autem. de iurepatronat. Pa-  
 13 tronus ¶ autem, quamuis pro-  
 curatorem constituerit, pote-  
 rit præsentare; & eo præsen-  
 tante, postea procurator non  
 pote-

rit presentare. Quod si pri-  
 14mo ꝑ procurator presentau-  
 rit, poterit patronus cumu-  
 latiuè alium presentare. ita  
 Gemin. in cap. dudum. n. 5.  
 15 de præben. lib. 6. Et ꝑ mulier  
 patrona poterit procuratorè  
 constituere, absque consensu  
 propinquorum, & presentare  
 libere. per dicta per Doctor.  
 & præsertim per Felinum in  
 cap. Ecclesia sanctæ Mariæ.  
 de constitut.

16 Si autem ꝑ quis procura-  
 tor constituatur à diuersis pa-  
 tronis, non potest diuersos  
 presentare. c. penult. S. por-  
 ro. de elect. lib. 6. qui textus  
 loquitur de electione, & pro-  
 cedit in presentatione, cum  
 17 iura loquentia ꝑ de electione  
 procedant & in presentatione,  
 per text. in cap. fin. & ibi  
 glos. in verbo electione, de  
 18 elect. lib. 6. Falsus ꝑ autem  
 procurator, si constet de fal-  
 sitate, reijciendus est à præ-  
 sentando, vt per Lambertin.  
 19 art. 12. vbi supra. Si ꝑ autem  
 patronus constituerit procu-  
 ratorem, quem non reuocare  
 iurauit, poterit tamen præsen-  
 tare; sed erit periurus. Paul.  
 de Castro conf. 362. incipit,  
 In Christi nomine Amen:

Venerabilis vir. p. 1. Innoc.  
 num. 5. & Ioan. Andr. in cap.  
 dilecto. de præben. Caute-  
 zola tamen ꝑ est, vt iste patro-  
 nus antequam presentet, ad  
 euitandum periurium, quòd  
 adeat Episcopum, & faciat se  
 absolvere à vinculo iuramen-  
 ti prædicti, ad hoc vt absque  
 incurfu periurij liberè præsen-  
 tet: quod solitum est fieri. Po-  
 21 terit ꝑ etiam talis procurator  
 reuocari, ad hoc vt presenta-  
 tio non teneat, etiamsi reuo-  
 catio non deueniat ad noti-  
 tiam reuocati. Paulus de  
 Castro vbi sup. conf. 57. vbi  
 ponit quado procurator igno-  
 rans possit reuocari: quod fal-  
 lit in casu Clem. cum illusio.  
 22 de renunciat. Poterit ꝑ etiam  
 patronus presentare per nun-  
 cium: ea enim, quæ expedi-  
 ri possunt per literas, possunt  
 etiam expediri per nuncium.  
 Abbas & alij in cap. pruden-  
 tiam. super glos. in verb. per  
 certum nuncium, vbi Abbas  
 nu. 21. de offic. deleg. & de  
 hoc Lamber. vbi sup. art. 15.  
 23 Patronus enim ꝑ potest per  
 literas presentare in ecclesia  
 vacante. cap. ea noscitur. de  
 his quæ fiunt à Præl. vbi Ab-  
 bas, Cardin. & alij. & dictis  
 li-

literis stabitur, donec contrarium probetur. cap. post cessionem. de probat. Potest etiam pater presentare pro filio patrono, frater pro fratre, coniunctus pro coniuncto, amicus, maxima amicitia astrictus pro amico patrono; sed cum promissione de rato.

ad l. sed & hæ. ff. de procur. Quæ presentatio cū promissione de rato valet, & censetur ratificata, quando patronus infra tempus datum ad presentandum non presentet. latè Lambertinus artic. 17. vbi supra.

## CAPVT QVINTVM.

Præsentatio non cadit in Ecclesijs Collegiatis.

## SUMMARIVM.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 Patronus non potest presentare ad ecclesiam collegiatam.</p> <p>2 Secus si habeat priuilegium à Papa.</p> <p>3 Decet tamen patronum consentire electioni.</p> <p>4 Patroni presentant ad omnia beneficia existentia in collegiata.</p> <p>5 Patronus non potest presentare in Monasterijs regularium.</p> <p>6 Abbatissa eligitur per scrutinium.</p> <p>7 Concil. Tridentin. sess. 25. de regul. &amp; Monialib. cap.</p> | <p>6. &amp; 7. seruetur in electione Abbatissæ.</p> <p>8 Abbatissæ officium expirat triennio.</p> <p>9 Praxis Pisarum in electione Abbatissæ.</p> <p>10 Abbatissa est benedicenda.</p> <p>11 Monasterium si fundatum sit cum pacto, quod moniales nominentur à fundatore, pactum seruandum est.</p> <p>12 Concil. Tridentin. sess. 25. de regul. &amp; monial. cap. 15. &amp; 17. ponit qualitates puellarum in Monasterijs recipiendarum.</p> <p>13 Sereniss. Christina Lotharingia Magna Ducissa Hetruria Monasterij fundatrix.</p> <p>14 Pa-</p> |
|---|---|